



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.**

**Leroy, François**

**Pragae, 1666**

§.2. Nostram etiam crucem ijsdem dimensionibus constare debere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

riemur. Ibi fortè inueniemus & latitudinem, & longitudinem, & altitudinem & profundum. His enim Apostoli verbi, *crux quodammodo nobis ante oculos constituta est.*

## §. 2.

*Nostram etiam crucem iisdem dimensionibus constare debere.*

EX his autem pronum est definire, quibus itidem dimensionibus *crux nostra* constare, aut quemadmodum componi & constitui debeat. Nam tametsi, ut monet Saluator, unicuique nostrum *crux sua* ferenda est; sua, inquam, velut unicuique propria, & in alijs, alijsq; diversa: id tamen duntaxat de ipsa crucis tanquam materia accipiendum; quasi *crucis nostræ*, sive inter sese, sive cum Christi *cruce* comparatæ, non eodem omnes, sed diverso ligni genere consistant; dum alter mœrore animi, alter corporis morbis affligitur, hujus honor & existimatio, istius fortunæ atteruntur; quem in sensum scitè pièq; dictitabat S. Franciscus Salesius nolle se sibi crucis suæ ligna deligere, sed quacunque Deus, & quacunque ex materia, *crucem* imponeret, promptè tollere, constantèq; perferre.

At si formam ipsam dimensionèsq; spectemus, omnis sanè *crux nostra*, quocunque tandem è ligno constet, ipsi cruci Christi configurari & conformari debet: ut nempe eodem spiritu, quo *crucem suam* Christus tulit, nostram ferentes, ipsam quodammodo Christi *crucem omnes* feramus, eidemq; cum illo cruci figamur, fiatq; in nobis, quod de se agebat Apostolus: *Christo confixus sum cruci*: quod e quidem ille non ita diceret, nisi in ipsa Salvatoris *cruce* se simul cum illo suffixum esse sentiret.

Quibus igitur mensuris, seu virtutum perfectarum officijs, constitit spiritualis *crux Christi*, iisdem & nostra instruenda & coagmentanda est. Ut nimirum quidquid acerbata-

bitatis in vita nobis obvenerit, id cum profunda humilitate, cum sublimi spe, cum lata charitate, cum longa denique perseverantia sufferamus; adamantes nimirum, nobisque quodammodo despondentes, ex Redemptoris imitatione, crucem perpetuam; qualem nos infra describemus, & variis Sanctorum autoritate astruemus.

Audiamus hic rursus S. Augustinum, ea quæ sparsim de his dimensionibus dixit, in unum recolligentem, & qualiter ex Christi magisterio, eadem in usus quoque nostros adhibendæ sint, innuentem. Ita enim scribit in quadam epistola: *Ep. 120. c. 26.* *Latitudo est in operibus bonis, quibus benevolentia porrigitur, usque ad diligendos inimicos: & longitudo, ut longanimitate pro hac latitudine molestiæ tolerantur: & altitudo, ut pro his æternum, quod in supernis est primum, non vanum aliquid aut temporale speretur: & profundum, unde gratia DEI, secundum secretum & abditum voluntatis ejus existit. Hoc totum agitur, cum in hac nostrâ peregrinatione, fides per dilectionem operatur. Ad extremum autem ita concludit: *Ibid. c. 36.* *Intelligentes igitur peregrinationem nostram in hac vita, mundo crucifigamur, extendentes manus in latitudinem bonorum operum, & longanimitate usque in finem perseverantes, atque habentes cor sursum, ubi Christus est in dextera DEI sedens, totumque hoc non nobis, sed illius misericordiam tribuentes, cujus profunda judicium omnem scrutatorem fatigant. Hac Augustinus.**

#### CAPVT XIV.

*In quo ostenditur, etiam homines perfectos, grandes ac multiplices cruces perferre.*